



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 74. Fœdus cum Amurate

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

quendi hujus belli tædio affectum, facile <sup>sæcul.</sup> XV.  
ad suas partes induxit. Ergo, dolente <sup>A. C. 1444.</sup>  
quidem ad hæc vehementer Juliano Car-  
dinale, induciæ in decennium pactæ  
sunt his conditionibus; Amurates Bul-  
gariam teneat; cetera omnia in illis ter-  
ris ab eo occupata illis restituat, quorum  
juris ante bellum fuerant. Captivis et-  
iam sua utrinque libertas concedatur  
præprimis vero Georgii Despotæ Serviæ  
Filii liberi dimittantur.

## §. LXXIV.

*Fædus cum Amurate.*

Cum autem ventum esset ad pacta  
firmanda, & Turcæ peterent, ut  
prolata in medium sacra Eucharistia  
Ladislaus juraret, hoc ne fieret, om-  
nino restitit Polonus quidam nomine  
Gregorius, postea Episcopus Leopolien-  
sis. Igitur Rex super Evangeliorum li-  
bro, Turcæ autem super Alcorano jura-  
runt. Jcto hoc fœdere, & præstito utrin-  
que Sacramento, Condulmerii Cardina-  
lis, qui in Hellesponto Classi præerat,  
literæ allatæ sunt, in quibus significa-  
bat, Amuratem ex Europa cum omni-  
bus copiis in Asiam adversus Carama-  
num trajecisse, proin occasionem maxi-  
me opportunam offerri, nullo negotio re-  
cuperandi, quicquid Turcæ suo imperio

Sæcul. XV.  
A. C. 1444.

in Europa subjecissent. Præterea ad Regem Ladislaum perscripsit, fidei, spon-sionisque Principibus Christianis factæ memor, & ipse cum suis copiis accurre-re festinaret, cum ceteri Principes, sua quisque auxilia jamjam præmisissent. Allatæ sunt pariter Joannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani literæ, in quibus ille idem belli negotium urgebat, significans, se non solum oblatas sibi a Turcis pacis conditiones repudiasse, sed etiam hostilia illis arma ultiro intulisse. Ea enim, quæ ab Oratore Turcico in in-duciis promissa fuissent, merito suspectæ fidei esse habenda, & Turcas certe pro-xima occasione opportuna, neglecta ju-ramenti religione denuo arma sua in Christi fideles conversuros, nec omnino committendum, ut gloria initia non minus vecordi, quam criminosa negligen-tia foedarentur.

### §. LXXV.

#### *Actum de rumpendo fædere prius jurato.*

**H**is itaque intellectis, atque perpen-sis, cunctos Principes rationum momen-tis devictos haud modica facti poeniten-tia incessit; cum clare eorum oculis ob-versaretur, quod totius Christiani orbis ludibrio, ac contemptui ob turpe hoc foedus